

## CAPUT XXIV.

## De Fide.

I. **A** Fide humanâ & politicâ ad salvificam: similiter ab historicâ, temporariâ, & miraculorum, ad salvificam, non tenet consequentia. Ratio est; quia differunt specie.

II. *A fide historicâ, sive dogmaticâ, ad fidem temporariam non valet argumentum: sed à temporariâ ad dogmaticam valet.* Nam fides dogmatica est habitus planè theoreticus: at temporaria conjungit theoriam cum aliquo sensu, gustu, gaudio, & externis signis. Qui duo gradus ita sunt comparati, ut secundus primum præsupponat, non contrà primus secundum.

III. *Ab excellentiâ apparente ad veram non valet argumentum.* Sic major est excellentia fidei miraculorum quàm salvificæ & justificantis κατὰ δόξαν, sed non κατ' ἀλήθειαν. Cæterum fides miraculorum est activa vel passiva. Activa est peculiare Dei donum, quo quis credit se divinâ potentiâ aliquid miraculosè operaturum I. Corinth. 13. 2. Passiva est, quâ quis statuit, se participem fore beneficiorum singularium, quæ per miracula, aut alio modo ex speciali DEI promissione contingunt Act. 14. 9.

IV. *Posita*